



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

Covarrubias y Leyva, Diego de

Antverpiae, 1610

9 De causarum auocatione, & earum retentione, quæ apud curiam
quandoque fit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

ad incipiendā litem fuerit vocatus. Hanc opinionē veteres quidam olim probauerunt, vt refert gloff. in dicto cap. clericum nullus. & Alber. in dicta. l. heres absens. qui testatur, olim Pargami p̄e ma disputatione, ac proposita quaestione ista, sic fuisse de hinc itū ex autoritate Iuriconsult. in d. l. heres absens, in principio. Horum sententiam secuti sunt viri illi doctissimi, qui iussu regis Alfonso decimi concinnandis, & congregandis huius regni legibus, quae opere septem partito continentur, operam dedere quemadmodū apparet ex dicta l. 53. tit. 6. part. 1. iuxta literam: quae quandoque rem istam in forensi controuersia disputantibus aptior visa est his quidem verbis:

Otrogi quando el clerigo hereda los bienes del omne lego, e otro alguno demanda contra a quel clerigo por razon de aquel lo que heredo, o de dano que vnieste fecho, tenudo es el clerigo de fazer derecho ante aquel legador seglar do lo furia aquel de quien hereda el auer si fuisse viuo.

Hanc literam sensim agnoscunt Io. Sup. in Rub. de don. int. vir. & vx. §. 39. nu. 8. & Rod. Zuarez in rep. l. post. rem. de re iud. vbi tractat de intellectu legis regiae de executione in instrumentum, & contractuum. i. extensione ad regiam legem fol. 103. col. 4. atque item auctor Summa peregrina, dictione, clericus. est etenim haec lectio, vt ex his auctoribus deduci videtur, maioris quidem effectus, & quae regiam decisionem vberiore efficit ad secularis iurisd. autoritatem: tamen si iure pontificio, ac denique receptissimae opinionis omnino contraria: nec video iuitam aliquam rationem, a iure pontificio deductam, quae potuerint induci regiarum legum conditores, vt hanc sententiam probarent: idcirco iudices regios admonitos esse velim, quod in eius praxi exactissima diligentia inquirant, & scrutentur, siue seruanda huiusmodi lex, & a Regia maiestas velit, eam seruari, praesertim quia prior litera iustior ac verior est, nec vnquam viderim contrariam in praxi receptam fuisse. Et ne quis hac in controuersia dubitare valeat, quoniam sit legis Regiae probatissima lectio, lectorem admotheo, regio edito cautum esse, Partitarum leges publicae in iudicio, & in aliis actionibus seruandas fore iuxta lectionem illam, quae typis tradita publicam habet autoritatē ex viri doctissimi Gregorii Lopez emendationibus. Has etenim Regia Maiestas publica, & certa censura munivit.

Quarta conclusio: quoties clericus laici heres in iudicū vocatur petitione hereditatis, aliave ratione personali aut reali, quae tamen non est hereditaria passiuē, vt aiunt, tamen si ea tractetur super re ipsa hereditaria, aut eius causa, non est ad seculare tribunal, sed ad ecclesiasticum vocandus. Probatur haec conclusio in l. si iudicem. in pr. ff. de iud. vbi Bar. & alii. Nec huic conclusioni oberit d. l. heres absens. nec item regia partitarum lex, quae verē nihil aliud agit, quam extendere decisionem IC. ad clericum laici heredem, & rationē habet illius fori, ac tribunalis vbi defunctus posset conueniri, si videret, iuxta communem omnium interpretationem, quae per IC. traditur. Igitur si actio aduersus clericum proponatur, non ea quae contra laicum eius antecessorem proponeretur, nec vt contra heredem laici eiusve in obligatione successorem, profecto in hac specie nō est, cur possit clericus coram iudice conueniri.

Quinta conclusio: Executio contractus & instrumenti publici, quo laicus obligatus est ad certam pecuniae quantitatem, vel aliud simile, petenda est corā iudice ecclesiastico aduersus clericum huius laici heredem. Huius opinionis probatio ex eo constat, quod nulla fuerit vere ac proprie cepta lis apud iudicem secularem. & ideo clericus non tenetur litem hac de re subire, & tractare in tribunali iudicis laici: imo pro huius contractus executione omnino est iudex ecclesiasticus ad eundem: est etenim necessaria causa quaedam cognitio, atque examinatio, quae aduersus clericum nō est apud alium, quam ecclesiasticum iudicem expedienda: quemadmodum in specie hoc voluere Rotae iudices, quorū suffragia traduntur in d. decis. 552. in antiq. & decis. 2. tit. de foro cop. in antiquiorib. Eandem opinionem, ni fallor, ipse probare videtur Roder. Zuarez in d. extens. l. col. 4. & in extens. 8. qui sequitur in effectu Bartol. opinionem in l. cunctos populos. nu. 29. C. de sum. Trin. & s. de cathol. dum is existimat ex lege seculari, quae statuit, instrumenta publica paratam habere executionem, instrumentum publicum aduersus clericum in proprio foro hoc ipsum privilegium habere, Huius opinionis rationem ipse Bar. rursus probat in l. de quib. ff. de legi. in rep. vlt. col. cui suffragatur rex. in c. cum venissent. de eo, qui mit. in pos. caus. rei seruan. & in c. consilium. de in integ. rest. Lapus alleg. 81. sequitur Bar.

Calc. in conf. 7. & tamen eius ratio communi omnium suffragio refellitur: siquidem statutum laicorum etiam generale, nullam agens mentionem clericorum minime est aduersus clericos, vel ecclesiasticos concessa sunt: cum statuta nullam frequentiori consensu improbat, vt constat ex Fel. in c. de cl. de conf. in 50. tradit Rochus Curt. in c. vii. de consue. q. 1. primario. Nihilominus ipse veram esse opinor Bart. sententiam in l. tit. quae generalis, nec damnum infert speciale clericis, nec ecclesiis est erga clericos, etiam in foro ecclesiastico seruanda, quod probatur in c. 1. de noui op. nu. & vltimū est Imol. in c. 1. de re vend. n. 24. Host. & Io. And. in c. r. de solut. Ergo lex regia habet imperiū, & quae generaliter statuit instrumenta publica paratam habere executionem, etiam aduersus clericos vim habet: quippe quae non inferat praedictum notabile clericis nec directo contraria canonibus sit. Nam sub his conditionibus & qualitatibus leges seculares Principis non recognoscunt superiori, receptae & probatae videntur a summis pontificibus in d. c. 1. de noui op. nu. c. inquisitionis. de heret. in 6. c. 1. de iuram. cal. c. venientes de iure iur. not. longe, ac late Fortun. in tract. de vlt. fm. illat. 14. cuius & aliorum nos meminimus in epitome de sponsal. 2. part. c. 6. in prin. n. 20. Quod si publicum instrumentum aduersus clericum paratam habet lege regia executionem, ea executio petenda est, ac tractanda coram iudice ecclesiastico, non coram seculari: quemadmodum ex Bar. Roderic. Zuarez, & Rot. decisionibus constat, nec vnquam vidi, nec audiui contrarium actum fuisse. His accedit, quod etiam si apud Gallos clericus cogatur a iudice seculari chirographum suum agnoscere, postquam tamen agnouerit, causa est ad iudicem ecclesiasticum deferenda, vt ipse cogat clericum solvere pecuniam debitam: sicut scribunt & asseuerant Rebuffi: super leges regias, tractat. de chirogra. artic. 1. numer. 5. tomo. 1. & Imbert. Rupel. lib. 1. Forens. instit. c. 24. & Pyrrhus item in consuet. Aurelianens. lib. de excus. in l. r. c. 20.

Fortassis in casu & specie huius 5. conclus. respondēt quāpiam, posse huius instrumenti publici executionem peti a quod iudicem secularem contra clericum heredem laici, qui quidem laicus ipsum contractum sub autoritate publica gesserat. Et haec quidem sententia probatur ex autoritate regie partitarum legis, cuius modo mentionem fecimus in 3. orolu. Nihilominus hoc dubium est propter multa, & praeterea quia dicta regia lex minime tractat de contractus executione, quae peculiare leges, & conditiones obtinet, propter quas, etiam si Roderic. Zuarez expressim asseueret, esse mandandū executioni contractum istum a laico factū aduersus clericum eius heredem apud iudicem ecclesiasticum, noluit tamen concedere eandem executionem fieri posse per secularem iudicem, tamen si partitarum legem citauerit, & induxerit.

CAPVT IX.

De causarum auocatione, & earum retentione, quae apud curiam quandoq; fit.

SUMMARI A.

- 1 Auocatio causarum quid sit: & cui iure competat.
- 2 Metropolitanus non potest causam a suffraganeis auocare, nec de ea cognoscere absque appellatione.
- 3 Auditores regii & legatus Romanus Pontificis non habent ius auocandi causas ab inferioribus.
- 4 Duces, Comes, & Marchiones non possunt causas auocare a iudicibus inferioribus.
- 5 Causa semel ad curiam delata, non redit ad iudicium inferioris cognitionem, & quid ubi appellatio non est iustificata.
- 6 Reuocari potest causa principalis cognitio in curia principis quandoque ex appellatione quacunque.
- 7 Auocatio causa cum decreto irritanti, quia operatur: & quid si fiat motu proprio.
- 8 Intellect. elem. unic. de renouacia. an ea obtinatur in mandato, quod daturus est ad presentandam.
- 9 Auocatio causa facta ad alterius petitionem, quomodo sit intelligenda.

DIXIMUS non semel causarum aolitionem examina apud regiae curiae iudices tractari quoad appellationem frequentius, quandoque tamen quoad primam causarū cognitionem in quibusdam casibus, quos vulgo curiae causae appellamus. Nunc vero id in controuersiam incidit, an curiae iudices possint causas & lites coram iudicibus inferioribus pen-

dentis ad eorum tribunal euocare: aut sane prohibere iudicibus ne de causis quibusdam cognitionem adhibere audeant, eas in curia tractaturi. Forensis equidem vsus Auocationem causarum appellat hanc prohibitionem, quam reuocationem dixit Roma. Pontif. in c. vi. nostrum. de appell. & sane quo facilius appareat huius quæst. solutio, & præsertim auocationis, ac retentionis discrimen, vt que possint aliquot hanc de re in presentiarum adnotari, præmittam libenter quæ sit causa huius euocatio.

Est etenim euocatio litis pendentes coram inferiore ad principem vel superiorem absque pronouatione facta translatio. Hanc ferme definitionem tradidit Rebuff. in tract. de euocatio. q. 2. super leges regias. Tomo 1. tametsi aliqua vel omiserit, vel addiderit, quæ ipse nec omittit, quippe qui videam definitionem præscriptam à nobis optime deduci ex dict. c. vi. nostrum de appell. & Infrascripto in l. iudicium soluitur. ff. de iud. & his, quæ vtrouique iuris vtriusque interpretes scripsere. Fit autem litis pendentes euocatio propria: siquidem his, quæ nondum pender, minime dicitur euocari. cap. ad dissoluedum. de de sponsa. in pap. l. decem. ff. de verb. obligat. text. in specie ista in cap. ecclesia. in 2. vi. lit. pend.

Hoc ius auocandi causas & lites pendentes, non cui libet iure datur, sed tantum Principi, vel ei, qui libere potest quancunque in parte litis iurisdictionem iudicis tollere, & eam reuocare, denique illi qui iudicare iusserit. Quæ admodum I. C. fatetur in d. l. iudicium soluitur. & præsertim in d. cap. vi. nostrum. I. S. etenim, qui libere iudicare iussit, & cui liberum fuit causam cognitionem huic vel illi committere, & iurisdictionem dare, poterit eandem auocare, & quocunque in statu causæ prohibere, quod iudex ab eo datus de causa illa cognoscat. Princeps igitur auocare potest causas apud inferiora tribuna pendentes, ex causa tamē id ab eo fieri debet, vt iuste fiat, sicuti Paulus Castren. censet in authent. qua. in prouincia. C. vbi de crim. qui oportet. col. 1. ex quibus poterunt deduci aliquot illationes ad huius questionis vberiorē cognitionem.

Primo hinc deducitur, Episcopum posse auocare causam pendentem coram eius vicario: quod ita Ioann. Imol. adnotauit in cap. pastoralis. col. 2. de offi. ordi. quem sequitur Rebuff. in eo tra. de euoc. q. 5. Huius opi. ea est ratio, quod episcopus solus & libere iurisdictionem propriam eius vicario, commiserit: & ideo commisionem libere poterit ipse reuocare, cum sit idem tribunal episcopi, & vicarij. cap. 2. de consuetud. in c. cap. Romana. in princ. de appell. in 6.

Secundo constat ex præmissis, Metropolitano non posse causam auocare ab episcopo eius suffraganeo, cum Metropolitanus sit iudex quo ad episcoporum subditos tantum ex causa appellantis, c. Rom. paulo ante citato. Et ideo nisi ad eum appellatum fuerit, non poterit ipse causas tractare inter subditos eorum episcoporum, qui ad eius Metropolitanum pertinent. id ipsum notatur in c. pastoralis de offi. ordi. in c. 1. in princ. de foro comp. in 6. & in c. venerabili. in princ. de sen. ex com. eo. li. probaturque ea ratione, qua obtentum est, non habere quem iurisdictionem in subditos eius, qui ei subiectus sit, & ideo licet episcopus sit subditus Archiepiscopo Metropol. non ex hoc sequitur, quod Archiepiscopus habeat iurisdictionem inter subditos episcopi, alias quam per appellationem. Hoc est eandem rationem tex. in l. Moderat. vbi gl. & Ale. ff. ver. signif. Bald. in Lex. Placio. C. de verum permur. col. 1. Ludo. Gom. in reg. de familiarib. Card. q. 14. notant in hac specie Curt. Jun. in cons. 2. Chaf. in caus. Burg. r. 1. §. 4. ver. sui interrogat. His accedit gl. Communiter recepta in c. 1. in verb. q. ant. de offi. ordi. in 6. quæ scribit Metropolitanum non posse dare ordines intra diocesim suffraganeorum ipsius suffraganei subditis. Idem notat Fel. in d. cap. pastoralis. col. 2. in princ. de offi. ordi. Domin. per text. ibi in cap. cum nullus. de temp. ordi. in 6. nec ipsius Metropolitanus subditis: quia non potest solenniter exercere actus pertinentes ad ordinem episcopalem intra alienam diocesim. gloss. in signis in clement. v. de privilegijs. in verb. etiam celebrare. plura equidem possent ad hanc rem in exemplū & similitudinem adduci ex cap. 1. & cap. v. ligantes. de offi. ordi. in 6. gloss. & ibi sal. in l. cum qui ff. de iurisd. omni iud. glo. Abb. & Felin. in cap. pastoralis. de offi. deleg. numer. 6. Fel. in eadem ex officio. numer. 7. de prescript. & in dict. cap. pastoralis. de offi. ordi. Præsertim concludit ad hoc, quod Metropolitanus non potest inter Episcopi suffraganei subditos de nullitate causæ principaliter absque appellatione cognoscere: sicuti cenet Philippus Francus in cap. dilecto. de appellat. quasi. 27. Felin. & Deci. in cap. literis. col. vltim. de offi. deleg. Quotum opinio constat, quia iudex qui non potest adiri por-

querelam, non equidem poterit de nullitate tractare principaliter absque appellatione. Archid. & Domi. in c. concertationi. super gloss. in verb. debitum. de appell. in 6. Metrop. autē non potest per querelam adiri. cap. 1. de offi. leg. ergo nec poterit is absque appellatione nullitatis causam examinare. Querela vero dicitur quoties causa deferatur ad iudicem absque appellatione. glo. Panor. & alij in c. querelam. de procurat. Corfetus in singularibus. in ver. querela. Saltem proprie: licet quandoque etiam dicatur ipsamet appellatio gl. in l. 3. C. quo. & quand. iudex. quandoque dicitur criminalis accusatio gl. in c. Maximianus. §. 1. dist. cuius meminere Corf. in d. verb. querela. Fel. in c. querelam. de iur. col. 1. Barb. in c. 1. col. 3. de officio legat. atque hæc vera esse censo. quomus Panor. in d. c. in literis. & in d. c. dilecto. probare conetur & asseueret, Metropolitanus tractare posse inter subditos suffraganeorum, de nullitate causæ principaliter absque appellatione proponi: idque videtur adnotasse ex Bart. in l. si expressim. ff. de appellat. col. pen. qui scribit, causam nullitatis posse non tantum examinari apud iudicē, qui sententiā pronūciat, sed & apud superiorem. Labentem. ff. de appellat. accusatoribus. & in gl. Codic. eo tit. notatur in l. preses. C. quo. & quand. iudex. Hoc etenim verum est in superiori, qui potest adiri absque appellatione, non autem in eo, qui tantum est iudex ex appellationis causa: vt probatur in d. c. 1. de offi. leg. Sic denique Dux, Marchio, vel Comes, qui iurisdictionem habet, & superior est ordinarij iudicibus, quos Alcaldes ordinarios dicimus, non poterit causam nullitatis principaliter tractare super ea lite, quæ semel apud iudicem ordinariū ab ipso populo electum accepta fuit, eum de hac causa non possit aliter quā per appellationem cognoscere, quod satis constat: & in hac specie ita probat Petrus Nunius Auendanius in tract. de executionis mandatis Regis. c. 5. num. 4. Igitur Metropolitanus causam apud Episcopum sibi subditum pendentem non poterit auocare idque, expressim tenet Ripa in c. cum M. de cons. nu. 195.

Tertio apparet, Regios auditores, qui in Pintiana & Granatensi curijs iura litigantibus, præuia causarū cognitione reddunt non posse causas coram iudicibus inferioribus pendentes auocare: cum regulariter non possint hi supremi iudices causas examinare, nisi per appellationem ad eos fuerint delata. Imo quoties in quibusdam casibus prima causarum cognitio curia iudicibus competit, speciatim excipitur, modo apud inferiorem iudicem lis minime pendeat, ac cepta sit. Sic etenim tradidit Montagna, & Boe. in tracta. de authoritat. Magni consilij Rebuff. in tract. de euoc. q. 5. num. 407. qui idem esse censent quo ad Supremum regis senatū, vt tandem Regis consiliarij non possint lites apud inferiores iudices pendentes auocare absque speciali regis consensu & decreto. tex. opt. in l. solent. §. sicut autem. ibi, non autem debeat inconsulto principe hoc facere. Fortassis tamen id commissum à principe videtur supremo eius senatui absque speciali eius consensu qualibet in causa requirendo, propter tanti consilij authoritatem. Quod in magno Franciæ consilio Boerius notat in tract. nu. 157. nec refragatur Petr. Rebuff. qui præscriptam conclusionē de causis non auocandis probat in Parliamentis, non in magno consilio, nisi magni consiliarij velint euocare causas à Parlamento. Hoc enim scribit, eis non permitti, absque speciali regis consensu.

Quarto hinc iure Pontificio probatur, Legatū Romani Pontificis non posse causas pendentes coram iudicibus ordinarijs auocare, cum sit locus Preuentioni inter eum, & ordinarios. cap. si à sede. de prebend. in 6. notant expressim Speculat. in de legato. §. nunc ostendendum. ver. præmissa. Abb. in cap. 1. col. 2. de offi. leg. Domini. in cap. 1. in princ. de foro compet. in 6. Ripa in d. c. cum M. de consil. num. 195.

Quinto deducitur in praxi, non posse Duces, Comites, aut Marchiones, aliosve iurisdictionem habentes, qui sint inferiores, nec iura principis habeant, causas pendentes apud iudices ordinarios, quos Alcaldes ordinarios appellamus, auocare, quod plane constat ex eo, quod hi iudices ordinarij omnino sunt, adeo firmam iurisdictionem habentes, quod etiam si ad plebis electionem per ipsum dominiū conferrentur, & constituantur, nihilominus liberum ei non est, eorum iurisdictionem impedire, aut tollere. Et ideo ante appellationem ad eum propositam nequaquam poterit de causis pendētibus corā iudicibus ordinarijs cognoscere auth. de defensorib. citat. §. nulla. & §. ius urandi. Cuius ratione perpena sic visum est Paulo Castrensi in l. memo. C. de iurisdictione omni iudic. quem sequitur vir doctissimus Petrus Auendanius in tracta. de executionis mandatis Regis. c. 6. numer. 28. idque apud

Regia tribunalia est adeo receptum, vt passim auocationes ista literis sub sigillo Regis decretis omnino prohibeantur, nisi quibusdam in locis, quorum iurisdicção militari; bus ordinibus diui Jacobi Calatravæ, & Alcantaræ competit, in his etenim certis olim definitis casibus, auocatio permiffa est, quæ innumeris dedit causam controuersis, quæstionibus, & querelis frequentissime ad curiam Regis deferèdis. Quod si Dux, Marchio vel Comes, aut is qui iurisdicçãoem habet in oppido causam auocare velit ab eo iudice, quem ipse solus, & libere constituit, cuique iurisdicçãoem propriam commisit in eo exercendam oppido, id poterit facere libenter absque vlla subditorum & iudicis iniuria: quemadmodum tenuerunt Io. Montagna in tract. de auth. consilij. & ibi Nicol. Boer. num. 158. Ang. in d. l. iudicium soluitur. ff. de iud. poteratque multis similibus rationibus hæc sententia confirmari, quam & Rebuffus probat in d. tract. de euocationib. qu. 5. in principio: quæ sunt omnino distinguenda.

* His equidè prænotatis subsequitur & alia quæstio, cuius examinatio in hoc tendit, vt inquiramus quotuplex sit Auocatio. & quot modis ea fieri recte possit. Etenim ea duplex est. Fit etenim auocatio causarum quandoque expressim. & hæc expressa dicitur, quoties princeps causam eorã aliquo iudice pendente ab eodem auocat: vt probatur in d. c. vt nostrum. Quandoque tacite fit auocatio, nempe vbi princeps causam coram iudice ordinario ceptam, alteri scienter delegat & committit. Ex hoc enim videtur eam à iudice ordinario tacite auocare. c. ceterum de rescript. cap. sane. de off. deleg. c. pastoralis. §. vlt. de rescript. Innoc. & alij, præsertim Ripa in c. cum M. de consil. nu. 198. Rota in nouis 67. Staphilæus de literis gratia. & iustitia. pag. 172. qua in re sunt aliquot obseruanda, quæ non erunt inutilia his, qui hoc in tractatu exactam adsequi velint cognitionem.

Primum sane adnotari solet: causam semel ad curiam delatam nusquam exire curiam, nisi à Principe rursus ad iudicem ordinarium Remittatur. Huius opinionis vulgo citatur auctor Bald. in l. si vt proponis. col. penult. Cod. quomodo & quando iudex. Cuius in hunc sensum meminere Ripa in d. capit. cum M. de consil. nu. 198. Dec. consil. 137. nu. 3. Iaf. in l. filius familias. §. diu. num. 58. ff. de legat. 1. idem Iafon. consil. 98. col. 1. lib. 4. Dec. rursus in cap. prudentiam. de offic. deleg. §. adiciamus. & in d. cap. vt nostrum. col. 1. Hippolyt. in singul. 31. Ioan. Crocius in l. 1. §. si quis simpliciter num. 13. de verborum oblig. hoc ipsum notat Baldus idem in cap. 1. §. ad hac. col. 3. C. de pace iuram. firmand. Philippus Francus in d. cap. vt nostrum. col. vlt. qui existimat, esse ad hoc textum singulare in cap. pastoralis. §. præterea. de off. ordin. notat & Egidius decis. 48. Hæc vero sunt Baldi verba in d. l. si vt proponis. n. 15. Nota quod causa que semel est in curia Romana, nunquã exibat de curia, nisi princeps deleget, vel causam remittat ad ordinariũ. Quod est notatu dignum: Et hoc facit hæc lex. Nã hæc causa redibit ad præsidem: & præses denuo committit & facit. de offic. ord. cap. pastoralis. §. præterea. Hactenus Baldus, cuius eo libentius mentionem feci, quod Iafon. in l. voluntas. col. vlt. C. de fidei commissis. in hunc sensum eum citauerit scribens, vide quod decidit Baldus in l. si vt proponis. in col. 3. post Archidiacon. per eum relatum. C. quo & quando iudex. Quod si Papa semel delegauit causam extra curiam Romanam, quæ debeat agitari in curia Romana, licet delegatio non habuerit effectum, quando delegatus mortuus sit, tamen ex quo semel commisit extra curiam Romanam, poterit modo ordinarius de illa causa cognoscere cessante delegato. Quod nota, si est verũ. Hęc Iafon, qui maxime hallucinatur in percipienda Baldi mente: siquidem ipse Baldus hoc tantum voluit, quod causa semel delata ad curiam poterit exire curiam si eam princeps delegauerit, vel remiserit ad ordinarium. Quod autem delegato mortuo causa ipsa reuertatur ad ordinarium à quo fuerat iam auocata, Baldus nec dixit, nec sensit: imo contrarium probat, dum citat tex. in d. c. pastoralis. & expressim tenet paulo ante adducens Archidiaconi autoritatem: secundũ quam ipsemet Bald. in d. §. ad hac. col. 3. respõdit, causam semel à Romano Pontifice delegatam non redire ad ordinariũ, etiam si delegatus pronunciet sententiam, quæ nulla sit. Quam opinionem probarunt Deci. in d. c. vt nostrum. col. 1. Roma. in consil. 335. Iacob. de Nigris in rub. de officio eius cui est mand. iurisdic. fol. 4. col. 2. Ripa d. cap. cum M. num. 198. hæc dicta sunt, vt Baldi sententiam iuxta veram, ac propriam eius mentem explicemus.

Quin & illud erit memoria repetendũ, quod si causa fuerit ad curiam delata per appellationem ab interlocutoria sen-

tentia, ac per Romanum Pontificem delegata, & commissa: sitque pronunciatum male appellatum fuisse, nihilominus causa nequaquam redit ad ordinarium: imo in ipsa curia expedienda est, vbi fuit decreta de re iudicata. In ipsa curia caussa cum toto negotio. Quemadmodum ex stylo & nu. 6. quem sequitur Ioan. Staphilæus de literis gratia. & iustitia. fol. 171. col. 2. verum quia Felinus testatur de literis gratia. & iustitia. practicam obseruationem esse contrariam iuri pontificio, oportet expendere quidnam iure ipso esset in hac quæstione dicendum.

Prima conclusio: causa per appellationem ab interlocutoria ad curiam Romanam delata & alicui auditori commissa facta negotij principalis mentione, si appellatio pronuncietur iniusta, redit cognitio causa principalis ad iudicem, à quo fuerat appellatum. Hoc probatur in cap. vt de iudicibus. de appell. cap. exhibita. de iudic. ex quibus hanc conclusionem post alios probat Francus in d. cap. vt de iudicibus. numer. 40. super gloss. penultim. ex qua constat, iudicem ad quem fuerit ab interlocutoria appellatum teneri eandem causam remittere ad iudicem à quo, vbi appellatio apparet iniusta. Erit autem hæc remissio necessaria, si iudex inferior appellatiõni detulerit. cap. cum appellatiõibus frivolis. de appell. in 6. explicant Docto. maxime Francus in d. cap. vt de iudicibus. numer. 42. post gloss. ibi.

Secunda conclusio: Quoties fuerit causa appellationis ab interlocutoria commissa vnã cum ipso negotio principali, non poterit iudex hic delegatus de causa principali cognoscere, si appellatio minime iustificetur, iniusteque sit appellatum. Probatur hæc conclusio ex eo, quod præscripta commissio hunc intellectum habet, vt iudex hic tunc de causa principali cognoscat, cum appellatio iusta pronuncietur: quasi huius commissionis sit hæc propria conditio, & interpretatio, secundũ Egidiũ à Bellam. in decis. 419. & seq. & idem de iure respondendum esse censent Rota iudices decisione 11. in nouis. Ioan. Staphilæus de literis gratia. & iustitia. fol. 271. Felin. in d. cap. causam que de rescript. num. 16. deducit quidem argumentum ex responsõ Romano Pontificis ibidem. & ex l. 3. ff. de legat. 1. non recte. ff. de fidei iussu. no. iatis per Bart. in l. vlt. de testamento. ff. de legat. 3. & in l. hæredes. mes. §. ius. ff. ad Trebellianum. Sed & hanc conclusionem probare mihi videtur Carolus Ruinus consil. 114. col. 2. lib. 4. tamen si Francus in d. cap. vt de iudicibus. nu. 40. existimet, per commissionem istam adeo esse auocatum causam à iudice inferiori, vt delegatus possit per principalem causam examinare, etiam vbi fuerit frivole, & iniuste appellatum. Vt iurque ad huius opinionis probationem ratione textus in d. cap. vt nostrum. cuius superius mentionem fecimus.

Tertia conclusio: Commissa, & delegata causa appellationis à principe, etiam si appellatum fuerit iniuste, poterit iudex hic de causa principali cognoscere, quoties concepta fuit in hũc modũ, vt causa appellationis, & ipsum principale negotium fuerint delegata. Etenim copula, & quæ hinc formulæ commissionis adscribitur, hunc effectum habet, quod causa principalis videatur commissa æque principaliter, non eo modo quo iure accedebat appellationis causæ & eius cognitioni. l. 1. & 2. ff. de pec. legat. ex quibus hoc deduci potest, & ex his, quæ Bartolus notat in l. Titia. §. nihil. ff. de legat. 1. denique hanc tertiam conclusionem explicat optime Carol. Ruinus in consil. 114. lib. 4. colum. 2.

Quarta conclusio: Iudex cui est à principe facta commissio causæ appellationis, & principalis coniunctim, vel diuisim, habet omnino cognitionem negotij principalis, etiam si appellatio pronuncietur iniusta. Hoc constat ex eo, quod princeps his verbis videatur causæ ipsius principalis cognitionem principaliter delegare, & committere, ac denique à priori iudice auocare, licet appellatio iniusta sit. Atque ita tenet Carolus Ruinus in d. consil. 114. lib. 4. col. vlt.

Quinta conclusio: Iudex delegatus, cui est commissio causa appellationis, poterit absq; noua commissione cognoscere de causa principali, si appellatio fuerit iustificata. Nã & responsio summi Pontificis in cap. vt de iudicibus. non tantũ obtinet in iudice appellationis ordinario, sed & in iudice delegato: cum eadẽ sit vbiq; ratio: atque ita sensit gl. in cap. ex reuote de foro comp. in verb. terminetis. Idẽ expressim tenent Ant. Abb. & Imob. in d. c. vt de iudicibus. vbi Dec. nu. 23. & Francus nu. 43. ac Felin. d. cap. causam que de rescript. n. 6. fatentur hanc communem esse, quæ mihi verior videtur, tamen si Francus conetur eã improbare.

Quod ante eum tentauit Agidius à Bellamera *de offi. 419.* priorem tamen opinionem, quæ frequentior est, etiam probant Innoc. Henric. & Agidius à Bellamera *in dicto cap. v. de iuris. 47. & glo. vlt. in cap. vlt. 2. q. 6.* Nam in ordinario iudice, cui competet cognitio causæ per appellationem ad eum deuoluta, nemo vquam dubitauit, siquidem is potest iustificata appellatione, causam principalem examinare. Quemadmodum expeditum est *in d. cap. v. de iuris. ac notatur in cap. 1. de foro compet. in 6. in princ.*

Quibus equidem prænotatis oportet adscribere quod praxis curiæ Romane admiserit. Nam ubi appellatū est ab interlocutoria, & commissa fuerit causæ appellationis cum negotio principali, etiam si appellatio pronuncietur iniqua, & iniuste fuerit appellatum, nihilominus cognitio causæ principalis manet apud eundem iudicem delegatū. Sic enim testantur receptū esse Fel. & Staphileus paulo ante citati. Atque præter hos hoc constat ex Agidio Bellamera *de offi. 37. de cap. Rotæ 11. in nouis.* Cuius meminit Paul. Castr. *in l. eos. Cod. de appellatione.* Quod si causæ appellationis simpliciter commissa fuit nulla facta mentione causæ principalis, tunc licet iudex hic delegatus, qui pronunciat appellationem iniustam, & male appellatum fuisse, non possit de principali causæ cognoscere, ipsa tamen causæ nequaquam redit ad priorem iudicem, à quo fuit appellatum: imo manet in curia, vt ibidem examinetur, & definitur ex noua, & speciali summi Pontificis delegatione: quemadmodum ipse deduci opinor ex præcæptis auctoribus, & Rotæ *de offi. 123. & 422. in nouis. & 612. in antiquis.* Bellamera *de offi. 129. & 520.*

Illud sane non est prætermittendū, cum id maxime huic congruat tractari, & sepius incidat in usus forensis executionem, quod ubi quis ab interlocutoria sententia iudicis inferioris appellauerit ad curiam, & is statim priusquam tractetur de iustitia, & rectitudine appellationis, petat totius negotii examen, aduocari, & retineri apud curiæ iudices solet plane id fieri, negotiumque ipsum ad iudicibus curiæ retinetur ad definitiuam cognitionem prærito ab appellante Iuramento, quo asseuerat, nullā se habere spem consequendi iustitiam apud iudicem inferiorē. Hanc conclusionē praxis recepit, & in specie ista tenent Rotæ *de offi. 42. in nouis.* Panorm. *num. 6. imo. & Francus num. 6. in cap. Nicolao de appellatione. Dec. in cap. interposita. §. 1. eod. tit. Ioann. Staphila. de literis gratiæ. & instit. fol. 172.* quod minime licet iudici inferiori, qui ex causæ appellationis cognoscendi ius habet: non enim potest ex causæ appellationis ab interlocutoria, nisi ea fuerit iustificata, retinere cognitionem negotij principalis, nec de eo poterit tractare, etiā ex consensu litigantium. *cap. 1. de foro compet. in 6. quāuis sit legatus, & denique iudex, qui possit adiri per viam querelæ, secundum Cardin. & Dec. in cap. v. de iuris. de appellatione. numer. 26. Dominicus. & Francum in d. cap. qui tenent, legatum non posse omnia iustificatione appellationis ab interlocutoria cognoscere de negotio principali, etiam ex consensu vtriusque litigantis: quasi decilio Romani Pontificis in cap. 1. de appellatione in 6. sit specialis in ipsomet principe, quod & Dominicus. ibi probat contra glossam dicto. cap. 1. de foro compet. in 6. in verbo. prætermisso. quam sequuntur ibi Innocent. Hostiens. & Abb. colum. penultim. Præposit. colum. 1. 4. & rursus Francus sibi parum constans in dicto cap. v. de iuris. ad finem. asseuerantes posse legatum non iustificata causæ appellationis, & omnia eius iustificatione cognoscere de ipso negotio principali ex consensu vtriusque litigantis: quod ipse minime probari posse iure opinor. Nam et si legatus possit per querelam adiri absque appellatione, id obtinet ubi causæ nondum pendebat coram iudice ordinario: quo quidem casu legatus non potest causæ illius cognitionem auocare, nec de ea cognoscere, nisi per appellationem à definitiuā, vel ab interlocutoria fuerit ad eum iure deuoluta: sicut hoc in capite superius adnotauimus, iure vero deuolutio non fit, nisi appellatio ab interlocutoria iustificetur quemadmodum probatur in d. c. v. de iuris. & in c. 1. de appell. in 6.*

Hinc denique poterit facillime percipi, si præmissa fuerint mente reperita, duplicem esse causarum auocationem: expressam quidem, & tacitam. Expressa vero auocatio hoc habet speciale, vt quicquid ab inferiori iudice actum fuerit post ipsam auocationem, nullum sit ipso iure, licet iudex ipse nondum cognitionem habuerit auocationis & facerit eius prorsus inscius, & ignarus, quoties auocatio fit quocumque proprio principis. Sic etenim probare conantur Abb.

in cap. cum M. de consil. num. 33. num. 7. ibi Dec. colum. vlt. Abb. Imol. & Dec. in cap. ceterum de rescript. num. 7. & plerique alij, quorum meminit asserens hanc opinionem communem esse Rebuff. super leges regias titu. de auocationibus. num. 18. idē asseuerat Ripa in d. cap. cum M. num. 196. qui adeo perplexis, & confusis Doctorum allegationibus vruntur, vt mihi vile visum sit distinctius aliquot in huius questionis resolutionem conclusiones exponere: quibus possit eius expedita cognitio haberi.

Prima conclusio: auocatio causæ facta cum decreto irritanti, hanc vim obtinet, vt acta iudicis inferioris post illā, etiam ignorantis, sint omnino nulla. probatur hæc ex eo, quod clausula decreti irritantis (sic enim vulgo dicitur) ignorantis, & inscius prohibitione afficit glossam. ibi communiter recepta in cap. 1. in verbo. rescripti. de concess. pruden. in 6. text. optin. cap. dubium. §. considerantes. & in cap. penult. de praben. in 6. & in cap. si postquam. eo. tit. gloss. in cap. si ea tempore. in verbo. ignorauerit. de elect. in 6. Card. in Clem. 1. quest. 18. de elect. Anto. Imo. & Fel. colum. 4. in cap. 2. de consil. notatur in c. si beneficia. de prab. in 6. ex iunioribus idem tradidit Ioan. Crocius in c. 2. limitatione. 1. ad 3. notab. de consil. in 6. idem in l. omnes populi. ff. de iustit. & iure. col. 36. Ex ea in c. 2. num. 50. de consil. Ioan. Staphileus de literis gratiæ. & iust. fo. 41. in specie autem huius conclusionis primæ auctores sunt Panorm. Imo. Fel. num. 18. & Dec. num. 6. in c. ceterum. de rescripti. Ripa in d. c. cum M. num. 196. Abb. in c. audita. de rest. spo. Dom. in c. 1. §. ex parte. de concess. prab. lib. 6. ex quibus deducitur manifeste idem esse, siue clausula ista fuerit apposta motu proprio, siue ad petitionem alicuius, qui literas à principe impetrauit. Sic etenim conclusionem istam Panorm. & alij, quorum modo meminimus, intellexerunt. Quod si is, cuius causæ, & in cuius fauorem causæ auocatio fiat, ea nolit vt, aut eidem renunciauerit, valet quod à iudice factum fuerit non obstantē decreto, quod irrita decernit in contrarium acta, secundum Domin. in c. 1. §. ex parte. col. penult. quem sequi videntur Fel. & Dec. in d. c. ceterum. quorum opinio satis comprobatur ex his que ipse tradidit in c. quamuis pactum. de pactis in 6. 2. parte. §. 2. num. 6. Quo in loco probare conatus sum, posse quem renunciare his que in eius fauorem inducta sint, licet his accesserit principis decretum, quo acta in contrarium irrita decernuntur. Deinde constat principis voluntas, que in hoc tendit, vt huius decreti vis remittatur, si eidem renunciauerit, qui id à principe in proprium fauorem obtinuit. Eadem voluntas præsumenda est in legis conditore ad hunc effectum, vt lex ab eo lata non liget ignorantes, nec eos prohibitione, præcepto, aut pena afficiat. Si quidem optimus princeps in id debet, ac tenetur leges ab eo latas dirigere, quod magis sit iustitiæ conformem. Et ideo præsumendum erit, quod ipse nequaquam voluerit propria lege eius inscius, & ignaros afficere, quoties ea ignorantia culpa caret, licet decretum hoc, cuius modo vim tractamus, legi adiecerit. Hanc opinionem iure veriore esse censent Card. in Clem. 1. quest. 18. de elect. Ioann. Crocius in d. l. omnes populi. col. 26. & in d. cap. 2. limitatione. 1. sub. 3. notab. & And. ab Exca in cap. 2. de consil. num. 50. eleganter Lud. Rom. in consil. 330. colum. 5. qui pluribus rationibus nititur hanc sententiam probare, non tantum quo ad penam legis, sed etiam quo ad actus vim, quæ minime tollitur per legem præscriptam, donec tempus accesserit, quo in vniuersum lex obligat, & eius ignorantia culpam aliquam præmittere videtur. de quo dubitat Fel. in d. cap. 2. num. 7. limitatione 4. Est tamen pro Romani sententia optima glossam. in d. cap. 2. verbo. dispendis. quæ illum textum intelligit etiam quo ad vim illius actus, qui fit ex ignorantia iusta legis humane.

Secunda conclusio, expressa causæ auocatio absque decreto facto, motu tamen proprio, reddit omnino nullum quicquid post illum actum fuerit à iudice inferiori, etiam, ignorante. Hanc opinionem tenent Panorm. in d. cap. cum M. de consil. colum. vlt. Imol. in c. ceterum. & in cap. cum contingat. ad fin. de rescripti. Franc. num. 6. in cap. v. nostrum. de appell. ex illius responsi ratione. Dom. in consil. 47. quasi hæc sit maxima vis huius clausulæ motu proprio. quam sententiam scribit communem esse Petrus Rebuff. super leges regias titu. de auocat. quest. 3. num. 19. adducens ad hoc Francum in dict. cap. v. nostrum. qui tamen hoc minime asseuerat, & licet Ripa. in d. cum M. num. 196. videri possit quibusdam asserere, hanc opinionem communem esse, ego existimo aliam conclusionem, cuius statim mentionem agemus, ipsum communem fecisse. Sed & falsam esse hanc secundam assertionem ipse nequaquam dubitauerit: cum nullibi in iure tantus huius

motus proprii effectus probetur. Sed & plerique viri doctissimi contrarium tenuerunt, præsertim Anto. Abb. col. penult. Fel. & Deci. in d. cap. cæterum. Innoc. in cap. 1. de concess. præb. in 6. Præp. in d. c. v. nostrum. col. vi. Pet. Rebut. in d. q. 3. ex quibus necessaria est scientia huius auocationis quo ad iudicem inferiorē, vt nullū sit quod postea ipse Iudex fecerit. quæ quidē opinio maxima ratione fulcitur, quemadmodū apparet auctoritate Iuriconsulti in leg. si forte. de officio præsidis, cuius meminere Rom. in sing. 57. & 566. Fel. in d. cap. cæterum. n. 1. Dec. in c. si duob. n. 12. de appell. Iurisdictio etenim semel data, & competens alicui non censetur ab eo reuocata, donec ipse habuerit reuocationis cognitionem, & scientiam. Quamuis in specie I. C. in d. l. si forte. alia est ratio congruentior, quod præses qui datus est successor, & si hoc sciat, vt potest iurisdictione & potestate donec successor prouinciam fuerit ingressus: sicuti notatur in l. meminisse. ff. de offi. proconsul. nihilominus multa sunt quæ huic opinioni suffragantur, & persuadere possunt, scientiam reuocationis fore necessariam. cap. 2. de officio deleg. hanc autem. §. non defendit. ff. quibus ex caus. in poss. eatur. notat Bald. in l. falsus. Cod. fur. Sic Lud. Rom. in dictis singul. asserit collationem beneficij factam à vicario Episcopi reuocato qui eius reuocationis erat ignarus, validam esse, cuius opinio comprobatur auctoritate Cald. consil. 4. tit. de offic. l. Dec. in cap. si duob. n. 12. Fel. in d. cap. cæterum. n. 11. Chosma in Pragm. sanct. titu. de collation. §. idem voluit. in verb. vicario. gl. opt. in l. tributus. ff. de restitu. mili. Iaf. in l. maiorum. num. 8. ff. de iurisdic. omni. iud. notat præter hos satis in specie Rebut. in tract. de beneficiis. tit. de simon. in resignatione. num. 54. & de publicandis resignationib. glo. 18. nu. 19. quicquid Franc. scripserit in c. dudum. de præb. in 6. sufficit tamen in hoc casu scientia simplex reuocationis absque literarū presentatione. Quod Fel. expressim notat, & omnes præcitati sentire videntur, maxime Cald. in d. consil. 4. Idē Rebut. in tract. de beneficiis. in tit. de forma vicar. num. 210. quem omnino legito. Et Boerium decis. 347. col. pen. est & ad hoc text. opt. in Clem. vnica de renunciatione.

Igitur ex prædictis illud superest, quod reuocatio in iurisdictione, etiam si motu proprio fiat, hunc habet effectum, donec ipse cuius reuocatur potestas, eiusdem reuocationis habuerit scientiam, quod item probatur in c. 1. §. ex parte. de concess. præb. in 6. quo in loco §. adhibebatur, adnotatum est hanc regulam non esse admittendam, vbi reuocatio fieret propter delictū: hoc etenim casu ipso iure, absque vlla scientia etiā ignorante ipso, cui data erat iurisdic. tollitur omnino eadē, & ab ipso profus aufertur. Sic sane probatur in d. §. adhibebatur, quem ad hoc commendarunt Rom. in sing. 58. Fel. in d. c. cæterum. n. 24. Barb. in c. volentes. 3. col. de offic. l. Io. de Selta in tract. de beneficio. 3. parte. q. 16. col. 2. Io. Bertach. in tract. de Episc. lib. 4. par. 7. q. 21. notat Innoc. in c. qualiter. in 2. de accus. opt. gl. in c. propositus. de concess. præb. in verb. vocare. Cuius meminere Fel. in d. c. cæterum. n. 24. & Card. in consil. 114. incipit, Frater Benedic. Huic opinioni accedit gl. elegans in d. Clem. vnica. de renunciat. in verb. spome. que illam decisionem intellexit, vbi mandatū ad renunciationem beneficij fuisset datum sponte: quasi scientia reuocationis necessaria non sit, quoties mandatū datum sit per vim, & metum: in odium sane, & penam illius, qui metum intulit. Quam interpretationem probarunt inibi Abb. & Selta in d. q. 16. nec id mirum videri debet, cum mandatū ad renunciationem beneficij, debeat esse liberum: vt & ipsamet renunciatio, c. procurator. de elect. in 6. tradit Card. in d. Clem. vnica. q. 4.

Illud vero obiter admonendum esse constitui ad huius questionis vberiore cognitionem, quod Paul. Castr. in consil. 361. dubio 4. lib. 1. existimat, non esse admittendum responsum Romani Pontificis in d. Clem. vnica. in mandato, quod datum fuerit ad presentationem alicuius clerici, aut generaliter ad presentandum ex causa iurispatronatus. Nam secundum eum reuocatio mandati habet vim omnino, etiam si non habuerit eius scientiam ille, cui datum erat mandatū. Huius opinionis probatio à Paulo Castrensi instruitur ex regula quadam quam modo prætermittam, quippe qui eam alioquin non admodum negauerim. Hanc Pauli sententiam expressim sequitur Aymon consil. 76. fenfit Fel. in c. cum con tingat. de rescript. numer. 9. dum refert illud Pauli consilium, vt existimat Lambert. in tract. de iure patronatus 2. lib. part. 1. quæst. 4. art. 14. Ego vero, etsi videam Aymonem Crauettam in d. consil. 76. hanc Pauli Castrensis opinionem probasse minime ni fallor, coactum eius questionis, & controuersie decisione, quam eo in responso probare conabatur: cum ad eius

veritatem necessaria non foret conclusio Pauli. Attamen negare contendam à Fel. eandem nec expresse, nec tacite receptam fuisse. Aliud etenim ex Paulo ipse deduxit, quod de existimo saltem esse quod Paul. tradidit asserens, de iurisdictionem Pontificiam de Clem. vnica. non obtinere in mandato ad presentandum, non enim video vllam discriminis rationem, que congrua sit. Sic & ipse Lambert. opinatur, esse necessarium, quod saltem prælatus, aut is, cui presentatio exhibenda est, habeat reuocationis scientiam ante institutionem, in quo ipse plene videtur à Paulo discedere, cum hoc ipsum sit, quod summus Pontifex in dict. Clem. vnica, respondit. tandem Petrus Rebut. in tract. de beneficiis. in d. forma vicar. tit. num. 214. opinionem Pauli de Castro falsam esse censet.

Tertia conclusio: quoties reuocatio iurisdictionis, & auocatio causæ motu proprio sit, etsi non afficiat ignorantem, quod iudex ipse vndeunque certam habeat reuocationis exhibitionem, hanc opinionem facilius admittent qui præcedentem conclusionem probauerunt. Sed eam etiam sequitur, & probat Fel. in d. c. cæterum. num. 11. & nu. 17. vbi Dec. nu. 7. post Ant. & Abb. ibi, qui & hoc ipsum tenuerunt.

Quarta conclusio: reuocatio iurisdictionis cum expressa causæ auocatione facta ad alicuius petitionem, hanc habet conditionem, si qui impetrauit, & obtinuit illam voluerit ea vt: vnde nō tollitur iurisdic. à iudice inferiori, donec fuerit per impetrantem reuocato eidem obiecta, & exhibitā. Probatur hæc in cap. audita. de rescript. vbi Abb. idem tenent, Innoc. Anto. Abb. Card. & Fel. in d. cæterum. Quorum opinio Communis est, vt fatetur Ripa in d. cap. cum M. num. 196. Sed quod in hoc casu sufficiat iudicem inferiorem cuius iurisdic. reuocatur, huius reuocationis scientiam habere, conantur iure defendere Domin. in d. consil. 47. Imo & Decan. d. c. cæterum. numer. 8. vbi Dec. hoc ex ratione tradita per Imol. deducit, additque Ripa in d. numer. 196. hanc posterioriorem opinionem receptam esse apud curiam Romanam: vt tandem aliud sit concedi à summo Pontifice impetranti secundum rescriptum, & secidos Iudices simpliciter, aliquid reuocari priorum iudicum iurisdictionem, ab eis que auocari causam. Cum in hoc posteriori casu ex auctoritate cap. nostrum. possit defendi, & probari, quod sufficiat scientia huius reuocationis, vt iudex non valeat ulterius de causa cognoscere, nec tractare. Nihilominus nos opinamur priorē scientiam veriore esse, eamque magis conuenire Rescripti utilitati, ne illusio fiat, facili me cauaram, litiumque definitionibus. Hoc ipsum deducitur ex c. gratam. de offi. delegat. super eo in 2. de appell. vbi Præp. notat. vlt. Archid. in c. quidam procur. in 6. Bald. in l. mandatū. col. pen. C. mandat. Idem Bald. in c. C. vt lite pendens. Dec. consil. 295. col. 2. nec Imo. in d. c. cæterum. hinc quartæ conclusioni aduersatur: imo eam expressim probat.

Quinta conclusio: quamuis per literas posteriores, quibus priorum mentio sit, tacite reuocetur priorum iudicum iurisdic. & potestas: attamen valet quidquid ab eis actum fuerit. etiam post cognitionem reuocationis, donec fuerint posteriores literæ ab ipso impetrante iudicibus oppositæ, & exhibitæ. Huius conclusionis probatio deducitur ab omnibus ex d. ca. audita. Et est communis omnium resolutio in d. c. cæterum. Atque hæc dicta sint pro huius capitis breui quædam examinatione.

CAPVT X.
De mandatis regijs ad executionem, & obsequium literarum, quæ vulgo requisitoria dicuntur.

- S Y M M A R I A.
- 1 Iudex secularis, & ecclesiasticus mutuo sibi præstat, & præstare tenentur auxilium in exequendis mandatis, & sententiis.
 - 2 Iudex ecclesiasticus non possit mittere in Carcerem laicos propria auctoritate.
 - 3 Contractus ratione quando quis possit, vbi contraxerit, conueniri, late tractatur.
 - 4 Missio in possessionem contra contrahentem qui variis locis possessiones habet, qualeser sint. Et ibid. Int. elect. Romana. §. contrahentes de iur. per lib. 6.
 - 5 Renunciatio proprii domicilij, quid in contractibus operatur, & dicitur, lutto in aliquem locum destinata.
 - 6 Inuicem quid efficiat in hac specie quo ad fori renunciationem.
 - 7 Iudex an possit verbaliter citationem iura tertiorum alterius propria auctoritate.